



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**Benedictus Redivivus Hoc est: Benedictinij Ordinis  
Vetustißimi Amplißimique, Nostra, ac supera ætate  
Jmmarcescibilis Vigor, ac Viror**

**Bucelin, Gabriel**

**[Veldkirch], Anno Christi. M.DC.LXXIX.**

Iesu Christi Annus. M.D.XLIIIV. Sancti Patris Benedicti. M.LXIV.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-38498**

V. Benedi-  
ctus de Toco  
Montfer-  
rat.

mè hoc ipso anno P. F. Benedictus de Toco, illustrissimo ortus genere & parentibus, ex Regum Albanæ sive Epiri & Georgij Scanderbegi sanguine & cognatione & ultimorum Orientis Imperatorum descenditibus. Idem Imperatori Carolo V. familiariter dilectus, atque in Aula ejusdem Pincernarum Principis munere functus, qui summa omnium cum admiratione, florentissimis valedicens rebus, & felicissimum DEIPARÆ Domicilium, Archisterium Montis Serrati ascendens, ibidem devotissimè exambijt, & tanquam Tyrunculus Christi sub auspicijs Archiducis nostri Benedicti, miles agone probationis generosè exacto hoc ipso anno solemnissimè Monachum professus, ita se omnibus probavit, ut omnes vinceret singulari animi demissione, tanta se morum Religioforum commendaret gratia, ut nihil ipso gratiosius appareret; ea apud omnes æstimatione, ut ad amplissimos deinceps honores & ad diversas omnino Episcopales Cathedras expetere ac promoveretur. Et hunc quidem pro sexcentis alijs ex Nobilitate damus, qui in sola Congregatione Montserratensi & Vallisolerana Hispanica, ut alias Gallia, Italia &c. taceamus, cucullum amplissimis honoribus & generis dignitati longè anteposuisse: quorum in hodiernum usque diem, sola Hispania tot tantisque potest producere, ut jure merito sequutura posteritas obstupescat super tanto, tantorum sæculi contemptu & neglectu, & tantam Benedicti cuculli & gratiam & gloriam suspicere cogatur & nunquam satis demirari. *Antonius de Jeyes, alijsque rer. Hisp. script.*

Henrici  
VIII. Regis  
impudentia.

In Anglia mira rerum mutatio, invalescente non pederentim, sed de repente infinita, quali rupto non uno sed multo aggere, sectarum multitudine, Regnum olim sanctissimum & felicissimum, non tam inundantium, quam demergentium, ipso Rege in terrima prolapsa scelera, & cum Ecclesiam porro audire profus recusaret, consilia à talibus petente, quos ipse noverat & falsus erat, inferni larvis nequiores; à quorum aliquo, cum & matris & filia thorum exambiret, & qua conscientia id fieri posset sciscitaretur? Facillimè id fieri posse, au-

dijs, nec ulteriore dispensatione, quam si in prandio gallinà, in canà pullo gallinæ ejusdem vesceretur. Nec sapientius Regis responsum fuit. *Et tu optimus meus eris in Inferno Vicarius;* quasi vero novus hic Papa, possit profè dispensando in Inferis Vicarium substituere. Longè aliter nostri, tot millia Generosissimorum pro Christo & Romana Ecclesiæ Fide exulum, qui rebus exuti omnibus, in summa egestate, nuditate, fame, siti, pro pellimè tamen merito Rege DEUM precari nunquam intermittebant, & vix ex tot millibus videas, qui impijs sese editis accommodaverit, nedum tot artibus sectariorum cesserit, vel manus dederit iniqua suadentibus; cum vice versa, qui Angliã non excefferant, ad Apostolica conversi munia, periclitanti toto Regno rei Catholicæ, summo cum vitæ discrimine, consulere pro virili laborarent, multos jam seductos revocarent, ambiguos consolidarent, constantes roborarent, invictos per omnia Christi pugiles se comprobarent, interim in extrema rerum angustia, nescij ubi de nocte caput reclinarent, panem ostiatim quærerent & rogarent, DEUM tamen laudare, nunquam desinerent, suisque peccatis imputarent, quos cælum ipsum in tanto tam ardui certaminis agone reverebatur. *Ex Reynero, Sanderò, & diversis rerum Anglic. scriptoribus.*

IESU CHRISTI ANNUS. M. D. XLII.  
Sancti Patris Benedicti. M. LXIV.

Turbatis aequè in Germania quam Anglia rebus, per Cæsaris maxime, Gallum armis petentis absentiam, nimis quantum Hæresum invalescit insolentia, & quotquot ferè à summo Ecclesiæ capite sive falsis abalienati persuasionibus, sive scandalis offensus realibus Cleri & Catholicorum, tot etiam, pro suo quisque capite, nova ausi, in hoc uno concordēs, ut omnipem juratam in Baptismate & debitam Romanæ Ecclesiæ obedientiam detrectarent, Traditiones avversarentur omnes, solum DEI Verbum scriptum admitterent, idque pro libitu truncarent, corrigerent, verterent & inverterent. Et hæc facile, nemine ferè è clero obnitente, cum nullo unquam sæculo, tanta bonarum litterarum ignorantia tan-

Notrorum  
Zelus Apo-  
st.

Hæresis per  
Germaniam invale-  
scit.

tus studiorum neglectus esset. Hinc factum ut vix pagus aut vicus esset, qui non sub Abbatum nostrorum imperio & Dominio contineretur, plebe nullo negotio seducta & in præceptis rapta, omnes omnino novis Verbi præconibus, adeo plausibilia suadentibus acquiescerent, nostris è contrario strenuè agentibus, clero suo viriliter assistentibus, procul etiam, non sine vitæ periculo excurrentibus, subditorum sibi salutem consulentibus, omnes in avita fide confirmantibus, novitates detestantibus, nec verbo solum, sed scriptis varijs, calumnias Hæreticorum refutantibus, falsa dogmata reprobantibus, inque hoc unum intentissimis, ut suos in fide Apostolica Romana Ecclesiæ continerent. Ex innumeris hoc anno unum producimur, sanctissimæ memoriæ Ludovicum Blossium Latinsensem Abbatem dignissimum, quem nulla satis celebrare posteritas possit. Is sanè unus, quantum præliterit, nemo satis æstimavit, nedum dixerit; cui satis non erat suos subditos in officio & fide continere, propiores reducere, nisi scriptis editis, plenis sapientiæ & à Divino dictatis Spiritu, totâ Europâ erroneis, animitus & medullitus condolens, remedia efficacia proferret; alia inter libros duos insignes edens, unum quæ Collyrium vocabat Hæreticorû; & alium, quem his verbis inscripsit: *Facula illuminandis & ab errore avocandis Hæreticis accommodata &c.* Audi obsecro, condolenter errores eorundem obiter comprehendentem, ut ex paucis tanti viri, pro salute animarum Zelum incomparabilem observes: *Profecito, inquit, dum ego arrogantiam & impietatem Hæreticorum avi nostri memoria repero, lachrymas continere vix possum. Ipsi enim obtemperare Ecclesiæ nolunt: subesse ejus Præsulibus modis omnibus recusant. Summi Pontificis (qui supremus Christi Vicarius est) Primatum nihili æstimant: Apostolica sedi petulantè insultant. Monstruosa confusionis sceleratores, Divinæ ordinationis infidelatores visibilem Ecclesiam, sine visibili capite in terris esse volunt. Inter Laicos & Clericos nihil discriminis constituunt, in sanctum Sacerdotium caeterosque sacros Ordines contumeliosi sunt. Sacramentalem salutiferamque Exomologesim, quam coram Sacerdote (peccata nostra aperiendo atque enumerando, facimus)*

*explodunt & exhibent, Blasphemiarum acervos, in illum Divini amoris omniumque bonorum fontem sacram Eucharistiam, & in celeste illud Missæ sacrificium, in illa, inquam, ineffabilis dignitatis Misteria, barbaricâ paganicâque irreverentiâ congerunt. Sancta Unctionis Sacramentum, quod fidelibus morti vicinis administratur, tanquam rem inanem irrident, atque rejiciunt: imo vero plerique ex eis consecratum oleum calcis suis inungendis (ô scelus nefandum!) jam adhibuisse perhibentur. De præcellentissimæ Desparæ Virginis Mariæ dignitate, quantum possunt derogant. Cultum ei impensum, & venerationem sanctis beatisque cæli civibus exhibitam insolentissima temeritate damnant: eos non debere invocari insipientissimè deblaterant, eorum honorandas imagines è templis eiciunt. Purgatorium fabulam dicunt: unde etiam pro defunctis orandum esse negant. Proterva dicuntur & risu, usum aquæ benedictæ ac cereorum, externosque ritus, & dies festos, in Ecclesiâ DEI receptos incessant. Arbitrium hominis liberum non esse, & Fidem sine bonis operibus ad salutem sufficere gannunt. Monachismum detestantur, eum novum hominum commentum esse dicunt. Nuptias ita laudant, ut Virginitati detrahant. Hominem non posse continenter vivere, ob idque non debere continentiam voveri pronuntiant: & si quis illam voverit, ac postea votum violaverit, nihil talem offensisse, nihil in Deum peccasse judicant. Incesta Sacerdotum, Monachorum & Virginitatis DEO sacratarum connubiâ approbant. Libertatem carnis, libertatem Evangelicam appellant. Breviter, quidquid eis libet, etiam licere putant, atque ita rabie quadam correpti suas animas in gehennam confidenter precipitant &c. Hæc proinde omnia, piâ promotus tot pereunium commiseratione, refuraturus, hoc inquit, Collyrium scripsi: in quo artificiosam orationis connexionem, non ita servare studui, ut omnia elegantè sibi cohererent; & aliud ex alio concinne dependeret, sed simpliciter atque in composita pauca, quæ curandis ipsorum Hæreticorum oculis, apta esse videbantur congesi. Abunde quod cupimus assequemur, si modicus ac rudis hic labor noster, aut aliquos ex his qui Hæresi jam infecti sunt, sanare, aut aliquos ex his, qui nondum sunt infecti, servare incolumes poterit. Neque enim in illis, quæ hæcenus*

Abbatum  
vigilantia.V. Ludovicus  
Blossius  
contra Hæ-  
reses.

Zelus Blossii.

Hæretico-  
rum erro-  
res.Contem-  
tus Cere-  
moniarum  
Ecclesiæ.

nus edidimus, laudes hominum, sed salu-  
 tem Animarum venamus. Atqui effica-  
 citer omnino tela in hostes Fidei con-  
 vertit & eiaculatus est, è pharetra uti-  
 que Mariana, Virginis Augustissimæ,  
 quæ sola conterere deprædicatur in u-  
 niverso mundo Hæreses, & est terri-  
 bilis suis hostibus, ut Castrorum acies  
 ordinata, quam unicè dilexit Blosius,  
 multaque in laudem ejusdem & pro  
 perpetua Veneratione scripsit, egre-  
 giumque se honoris ejusdem asserto-  
 rem, & contra Hæreticos vindicem  
 comprobavit. *Ve miserts, inquit, &  
 infelicibus Hæreticis, qui tam e Virgini ini-  
 quiores sunt, qui ejus gloriam & splendo-  
 rem obscurare nituntur: Ve, inquam, his  
 quibus tantæ Imperatricis cultus jam vi-  
 luit. Invidemur, frendent, quod eam  
 appellamus spem vitæ, conciliatricem salu-  
 tis. Quid, inquirunt, Mariam habetis  
 pro DE A? sicine spem vestram in homine  
 ponitis? Non quidem adoramus Mariam  
 ut DE AM; sed ut DEI Matrem, DEO  
 proximam veneramus [quævis non im-  
 merito DE A dici possit, cum Sancti in scrip-  
 tura vocentur Di] Non sic constituimus  
 spem nostram in homine; non ita confidi-  
 mus in MARIA quasi ipsa, id quod est,  
 id quod habet, id quod potest, non acceperit  
 à Domino: sed consistemus eam accepisse  
 omnia ab eo, à quo creata electaque est,  
 & eam posse omnia in eo quem enixa est,  
 Dedit Creator creaturæ, Filius Matri ines-  
 fabilem quamdam potestatem, & eam sin-  
 gulari privilegio honorare voluit: ob idque  
 salutis spem in ipsa collocamus, non qui-  
 dem ante Dominum, sed post Dominum:  
 nam à Domino (quem totius boni originem  
 esse cognoscimus) salutem principaliter ex-  
 spectamus. Tu Antimarianorum illorum  
 blasphemias atque impudentiam abomina-  
 re, orans tamen interim pro eis, & ve-  
 nerationem ipsius MARIÆ charam ha-  
 beto. Ipsa enim est totius puritatis &  
 sanctimonie exemplar absolutum, ipsa pec-  
 cantium singulare refugium, ipsa omnium  
 quos tentatio, calamitas, aut persecutio  
 aliqua urget, tutissimum asylum. Ipsa Re-  
 gina Cæli potentissima, ipsa Dispensatrix  
 Gratiarum liberalissima, ipsa omnium fi-  
 delium Mater misericordissima. Tota mi-  
 tis est, tota serena, tota suavis, tota benig-  
 na, non solum justis & perfectis, verum  
 etiam peccatoribus ac desperatis: quos ut  
 ad se ex corde clamare perspexerit, statim  
 adjuvat, suscipit, fovet, & metuendo Ju-*

Ejus pro  
 Deipara  
 Zelus.

dici materna fiducia reconciliat. Nullum  
 aspernatur, nulli se negat: omnes consola-  
 tur, omnibus suum pietatis aperit, & vel  
 tenuiter invocata præsto adest. Sua ingeni-  
 ta bonitate atque dulcedine, sæpe eos, qui  
 DEO minus afficiuntur, ad sui cultum blan-  
 de allicit, poteritque excitat: ut per hu-  
 jusmodi studium præparentur ad Gra-  
 tiam, & tandem apti reddantur Regno cæ-  
 lorum. Talis est, talis à DEO facta est,  
 talis nobis data est: ut nemo eam horreat,  
 nemo refugiat, nemo ad eam accedere trepi-  
 det. Fieri non potest, ut pereat, qui M A-  
 R I Æ sedulus & humilis cultor fuerit. Tu  
 igitur sacro Tibi unicè familiarem & c.  
 Eundem habet cum Patre cælesti filium:  
 DEUM in Utero suæ Virgineo concepit,  
 DEUM peperit, DEUM proprijs uberibus  
 lactavit, DEUM gestavit in ulnis &  
 consivit gremio. Quid sublimius, quid  
 magis honorificum, quam dici & esse Ma-  
 trem DEI? Quid celsius? Quid admira-  
 bilius? Plane sic est: nihil sub DEO cogi-  
 tari potest Divinus DEI Matre, & c. Et  
 alibi: Ejus dignitas omnium Angelorum  
 dignitatem superat. nam cum Dominum  
 universæ creaturæ genuerit, ipsa quoque u-  
 niversæ creaturæ Domina est. DEUM  
 Virgo concepit, DEUM peperit & post par-  
 tum Virgo irviolata permansit. Merito  
 igitur juxta ipsius Vaticanum, omnes ge-  
 nerationes ipsam dicunt Beatam. Conve-  
 nienter eam appellamus Salutem, Vitam &  
 Spem nostram, propterea quod Christus,  
 qui principaliter est salus Vita & Spes no-  
 stra, se per illam nobis dederit, quodque  
 ipsa apud Filium materna fiducia nobis im-  
 petret, quæ salutaria sunt. Sæpe enim ea,  
 quæ attribuntur Creatori, rectè attribu-  
 untur etiam Creaturis. Unde Paulus: Quæ  
 est spes nostra, aut gaudium, aut Corona  
 gloriæ: nonne Vos ante Dominum? & hi,  
 ad quos sermo DEI factus est vocantur Di.  
 Apostoli quoque à Christo dicuntur Lux  
 mundi. Jidem adoratio laudabiliter in-  
 venit exhibita creaturæ. Nam scrip-  
 tum est, quod Abraham adoraverit filios  
 Hebræ, & quod Jacob adoraverit fratrem  
 suum Esau, quodque Filij Prophetarum ado-  
 raverint Heliseum Prophetam. In Li-  
 urgia Chrysostomi, hæc verba de ipsa Ma-  
 ria habentur: Verè dignum & justum est,  
 glorificare Te DE Sp̄aram, & semper Bea-  
 tissimam, ac penitus incontaminatam Ma-  
 trem DEI nostri, honoratorem Cherubim,  
 incomparabiliter q̄ gloriosorem Seraphim,  
 quæ citra corruptionem DEUM ipsum genuisti,

Laudes  
 Deipara.

Insigne  
 elogium.

Insignis  
 Deipara  
 deprædica-  
 tio.

nuisti, Te verè DEIPARAM Magnificamus: Ave Maria, Gratia plena, Dominus Tecum, Benedicta tu in mulieribus, & Benedictus fructus ventris tui; quoniam salvatorem peperisti animarum nostrarum &c. Hucusque Blossius noster, ut nemo satis fervorem tanti Abbatis admiretur. Vita excessit hoc anno, non minus Blossio fervidus in Marianos & Christi Ecclesie hostes Hæreticos, pugil & Athleta generosissimus Reverendissimus Dominus Jacobus de Lallre, ex Abbate Vallis Beatæ MARIÆ Virginis Montibus, postulat Abbas Hasinoviensis, lucidissimum Inferioris Germaniæ fydus, *Hostis Hæreticorum*, ut annales loci appellant, *acerrimus*, ac propterea, *Hæreticae pravitate Inquisitor* constitutus, post multos labores & pericula, ad præmia Domini prælia præliantium vocatus. Hoc primum anno nonnulli S. Jgnatium Casinum migrasse volunt.

IESU CHRISTI ANNUS. M. D. XLV.  
Sancti Patris Benedicti. M. LXV.

Magnis sese meritis commendat, Jacobus, cognomento Regius, Renati, ex Margarita Gauffier filius, Archiepiscopus Patriarchalis Ecclesie Bituricensis, Aquitaniæ Primas, Princeps lectissimus. Jsex Monacho primum & Abbate Doleni, Abbas Villulupensis, postea Archimandrita Archisterij Cluniacensis, demum Archipræsul renunciat, ubi vis egregium sese Pastorem exhibuit, & magnum Ordini decus addidit. Patrum habuit Guilelmum Episcopum Magalonensem, Joannis Amboesij Lingonensis Episcopi proavunculum, fratrem, vero Regis Galliarum Magnum Eleemosynarium. Passus multa est Jacobus ab Hæreticis, ipse sibi ubi vis constans, cum omnia sursum & deorsum verterentur. *Ex Gall. script. Claud. Rob. Annal. Cluniac. &c.*

Floruit hoc ipso tempore Antonius de Monte, ex Monacho Montis Angelorum Congregationis Cluniacensis, Episcopus Civitatis, de quo Aug. Florentinus & alij. In Germania Superiore etsi tristissimus rei Catholicae status, firmato contra Catholicos federe Schmalcaldico, & infinita quasi conjuratorum multitudine Sacris omnibus minante, imo jam passim in Mo-

naasteria sacrilegè grassante; tanto tamen sese magis obarmat, adversum omnes hostium injurias, nostrorum patientia: cum lectissima quævis Cænobio, aut miserè vastata rebus omnibus exuerentur, sive ad profanos usus transferrentur, sive penitus exuerentur, viris Religiosis pessimè tractatis & quaqua versum dispersis, atque ita afflictis, ut jure merito in sanctorum Martyrum censu habeantur. *Ex Germ. nostra &c. & diversis Germ. script.*

In Inferiore Germania memorandus denuo hoc ipso anno sanctæ memoriæ Abbas Latiensis Ludovicus Blossius, qui non contentus eâ quam meritissimi ejusdem instituerant & promoverant Reformatione, ipse Spiritu & Zelo Religionis fervens novam, multisque numeris absolutiorem instituit, & scriptis mandatam, ut Apostolica confirmaretur auctoritate, Romam mittit, insigni cum plausu acceptam, & à Paulo III. solemniter confirmatam, cui præter Latienses, plurimi deinceps nomen dedere, plurimo deinceps fructu passim consequente. Ut Blossius noster merito inter magnos Ordinis Reformatores, & sanctissimarum Legum Conditores adnumeretur. *Ex Monim. Latiensibus.*

In Monasterio Deiparæ & sancti Heriberti Tuitiensi, ex adverso Coloniae, vita excedit hoc anno Henricus Horstius de Nussia reformatissimus loci Abbas, decus Ordinis singulare, Zelator disciplinae Monachicæ strenuus, Vir ingeniosus juxta laboriosus & industrius, sanctæ sobrietatis studiosissimus, cujus alia inter laude & imitatione dignissima memoratur, ingens otij odium, ita ut nunquam oriri visus sit, semper religiosissimè & utilissimè occupatus. Dilexit autem præcipuè decorum Domus DEI & templum amplificans, præiosa ejusdem sedilia confici curavit. Decessit 7. Junij. Moritur. eodem Anno Jll. mus Antonius noster Civitatis Episcopus nepos Antonij de Monte S. R. E. Cardinalis, Monachus SS. Angelorum Florentia. *De quo sepè citati.*

IESU CHRISTI ANNUS. M. D. XLVI.  
Sancti Patris Benedicti. MLXVI.

Infinitorum malorum Author primus & præcipuus, Hæresiarcha nequissi-

V. Blossii  
Reforma-  
tio Latiens-  
is.

Henricus  
Horstius  
Abb. Tuiij.

V. Jacobus  
de Lallre  
Abbas Has-  
inovi-  
ensis.

Jacobus  
Regius ar-  
chiepisco-  
pus Bituri-  
censis.

Antonius  
Episc. Civi-  
tatis.

Fredus  
Schmalcal-  
dicens.